

corum in his, laicis non potest prodesse, etiam si per tempus immemorabile duraret. Inter quæ non est decimarum exemptio, quia hanc præscribere, non est acquirere jus spirituale, ut est jus decimandi, sed est exclusio juris Ecclesiæ, ne decimet. *Monetæ de Decimis c. 5. num. 105.* dummodo tamen supersint Parocho fructus, quibus possit sustentari, & num. 12., ubi quod ista exemptio potest præscribi, quoad totam decimam, vel quoad partem, ita ut Parochus non possit se tueri, ex quo partem semper exegerit, dum pro alia parte exemptio sit præscripta, & suffragatur, c. 1. de præscript. in 6., ubi in Decimis admittit præscriptionem, *Pigani. ad nostrum Statutum Ferrariæ rub. 127. p. 2. nu. 119.* Tum quia non est tanta resistentia juris in præscribendo exemptionem à Decimis, ac in præscribendo jus decimandi, *Monetæ d. c. 5. num. 112. vers. (ad hoc autem, in fin.)* tum quia quantitas solvenda est de jure humano, & ut plurimum pendet à consuetudine locorum, *Barbosa de universo jure Ecclesiast. lib. 3. c. 26. num. 8.* Ad hæc omnia noto, quod mera negligentia, quæ totaliter stet in negativis, non sufficit ad præscribendum contra privilegium, cum sit iniquissimum auferre domino, quod usus non abstulit, *l. nec utilem ff. ex quibus causis major*, ita nec sufficit ad amittendum privilegium per non usum, eo quia ut quis præscribat oportet, ut bona fide possideat, incorporalibus, & quasi possideat, in incorporalibus, *l. sine possessione ff. de usucap.*, cum sine possessione, præ-

scriptio non procedat, *reg. sine possessione de reg. jur. in 6.*, possessio autem est quid facti, quod non potest consistere in negativo, *Barthol. in l. male agitur num. 3. & ibi Bald. nu. 4. 5.*, *Angel. nu. 5. c. de præscript.*, *Spada in conf. 149. nu. 27. & seqq.*, *Gravian. discept. nofor. c. 113. num. 75. 76.*, *Antonell. de temp. in leg. lib. 2. c. 67. num. 75. & c. 88. num. xi.*, in ubi quod obligatus, e. g. solvere annuatim decem, solvat tantum quinque pro omni, & toto eo &c. sic solvens Decimas, solvat de una specie tantum, puta frumenti, non de leguminibus, nec de vino, & hoc pro integra decima debita, animo, & intentione, dicitur possidere jus non aliter solvendi, sciente ipso creditore, qui sine protestatione acceptat, credens sibi majorem quantitatem non deberi, *Aretin. conf. 112. Corbola de Empb. de causa privationis ob non solutum canon. ampliatur. 42.*, tunc solvens, quo ad eam partem, quam non solvit, intervertit positivè dominium, seu jus creditoris, & talis actus positivus sufficit ad possessionem, & præscriptionem, *Tbesaur. decis. 179. num. 6.*, *Cancer. variar. lib. 3. c. 4. num. 201.*, quia per singulas solutiones fit interversio, quoad eam partem non solutam, & est notabilis, *glos. in c. Olim causam perfecisti in V. non nisi triginta sex de censibus*, ad quem tex. remittit, *Rodric. de annuis reddit. lib. 1. q. 17. num. 105.* Hæc diximus de negligentia in usu privilegii, ad effectum ut currat præscriptio, nam ad effectum, ut inducatur consuetudo facilius inducitur, nec tot requiruntur, ut bene notat *Barbosa de universo Jure Ecclesiastico lib. 3. c. 26. s. 3. num. 68. & 69.*

De Negligentia Procuratorum, & Actorum.

S U M M A R I A.

- 1 Procurator, & Actor, tantam debent adhibere diligentiam in alienis, quantum in propriis negotiis tractandis.
- 2 Negligentia in Procuratore non presumitur, sed per allegantem est probanda.
- 3 Negligentia Procuratoris, in pluribus casibus, præjudicat domino.
- 4 Præjudicare potest in impetratione beneficii,

- si omittat narrare narranda.
- 5 Similiter in impetratione salvi conductus.
- 6 In omiſſa responsione, ad capitula per adversarium producta.
- 7 Non appellando in termino.
- 8 Non cerciorando principalem in necessariis.
- 9 Negligentia Procuratoris regulariter nõ est sufficiens causa impetrandi restitutionem in integrum.

- 10 Limita si negligentia Procuratoris fuisset dolosa.
- 11 Limita si sequatur magnum præjudicium principali.
- 12 Limita, si Principalis purgavit negligentiam Procuratoris.
- 13 Limita, si negligentia Procuratoris provenisset, ex ignorantia facti, & hæc ignorantia esset probabilis.
- 14 Limita in pluribus, si Procurator communi prudentum judicio habebatur pro diligente.
- 15 Limita in terminis Statuti Ferrariæ concedentis appellare, non obstante Procuratoris negligentia.
- 16 Procurator negligens tenetur ad damna, & qua actione.
- 17, & 18 Procurator ad negotia negligens tenetur ad interesse.

- 19 Procurator negligens meretur removeri ab officio.
- 20 Procurator vendens habita fide de pretio non obligat Dominum, qui eum constituit cum hoc, ut venderet recepto pretio.
- 21 Quando Procurator tenetur ad interesse, nec habeat in bonis, tunc principali subvenitur remedio restitutionis in integrum.
- 22 Quod intelligitur, si omiſſio, & negligentia Procuratoris fuit dolosa.
- 23 Non tenetur ad interesse, quando non suscipit procuratorem.
- 24 Procurator constitutus à Judice pro procurandis Pauperibus, & ad hoc recipiat salarium negligens peccat contra Justitiam.
- 25 Procurator, si debita fraudetur mercede, negligens in officio quando peccet, cum distinctione resolvitur.

ARTICULUS XXXVI.

De Negligentia Procuratorum, & Actorum.

**P**rocurator, & Actor, tam ad lites, quam ad negotia, cum in rebus alienis teneatur tantam diligentiam, quantum in suis adhibere, *Anton. Gama. in decis. lufitan. 267. num. 1. Borell. tom. 1. Summa decis. tit. 66. num. 308.*, immò majorem, nam culpa, quæ in re propria toleratur in re aliena damnatur, *l. si constante s. si Maritus ff. solut. matrim.*, *Jacob. de Canibus tract. de exequutore ult. vol. 2. part. num. 9.*, si negligens sit, culpatur, & tenetur ad damna, ut *ex tex. in l. in re mandata C. mandati*, ubi licet etiam legatur, quod propriè existimationis, id est famæ periculum est, tamen infamia non incurritur propter culpam, & negligentiam; sed propter dolum, ut notat *glos. ibi in V. existimationis, l. Procuratorem, l. à Procuratore C. mandati*, ubi allegati per *Barbosam, Gibalin. de negotiat. lib. 1. c. 3. art. 8. num. 5. V. septimo ex negligentia, & lata culpa*, ubi *Verf. octavo* nota Procuratorem, qui artem Procuratoris profitetur, teneri non solum ex culpa lata, sed etiam levi, & levissima, per *tex. in l. Procuratorem. 11.*, *l. à Procura-*

*toze 13.*, ubi *glos. notabilis in re mandata 21. C. Mandati, Scaccia de comertiis, & cambis s. 2. glos. 5. num. 252.*, quod intelligitur, ubi non gratuito, sed pacta mercede negotia gerenda suscipit; est autem Procurator, qui aliena negotia mandato sibi facto à domino gerenda gratuito suscipit, *Azon. Summa lib. 2. c. rub. de procurat. num. 1.*, ubi notat, idè dici gratuito ad distinctionem ejus, qui mercede negotia aliena gerit, qui non Procurator, sed Locator operum suarum dicitur, quales sunt hodiè publici professores artis Procuratoriæ, qui publica auctoritate in Collegio Procuratorum assumpti per tribunalia quotidie ad lites, & causas partes actorum, & reorum sustinent, merces autem, & salarium, quod eis persolvitur, solet honorarium appellari, facit *tex. in l. litem C. de Procurat.* Negligentia tamen Procuratoris non præsumitur, unde qui ageret adversus Procuratorem propter ejus negligentiam deberet eam probare, *decis. conf. 632. vol. 2., Tapat. variar. sentent. tom. 1. tit. 91. c. 23. V. mandatarius, Rota Genue. decis. 76. n. 6. 3.*

Antequàm progrediar, necessarium existimavi inquirere an negligentia Procuratoris, noceat Principali.

- 3 Et constituitur reg., quod negligentia Procuratoris in omittendo, præjudicat Domino, ob malam personæ electionem, *l. si Procuratorem §. tutores ff. mandati, Greg. decis. 75. num. 1.*, ubi addent *num. 4.*, & *decis. 282. num. 9.*, *Ridulphin prax. judic. p. 1. cap. 5. num. 114.*, idè Procurator omittens excipere contra Procuratorem adversarium de nullitate, inualiditate, vel quod mandatum sit captorium, de insufficientia mandati præjudicat suo constituenti, *Vantius de Nullitate tit. de nullitate ex defectu inhabilitatis, seu mandati comparentium num. 112. propè finem, Surd. decis. 181. num. 3.*, debet enim dominus sibi imputare si Procuratorem diligentem non elegit, ut dixi in prima parte de negligentia in communi, & ad ibi allegatos D.D. addas, *Rotam decis. 719. num. 4. p. 1. diversorum, Barbosa in c. cum olim, Abbas num. 6. de off. & potest. Judic. del., Riccius collect. decis. collect. 1605., Capic. decis. 18. nu. 9., Crescent. decis. 7. de appellat. num. 5. 2. 3., Abbas in c. 1. num. 15. 21.*, ut lite non contestata, *Barbol. in l. unica §. 1. procurator num. 4. ff. si quis jus dicenti non obtemper., Jason. in l. si Procurator num. 8. C. de Procurat., Crescent. decis. 3. de appellat., Surd. decis. 181. num. 3., Rota in Romana legati coram Pirovano decis. 181. num. 17. p. 6. recent., Marefcot. variarum resol. lib. 1. c. 86. num. 15., per tex. in l. cum mandato in fine ff. de minor. & iterum Marefcot. c. 87. num. 37. eodem lib., Gratian. discept. for. c. 957., Bald. in cap. cum olim il. 1. num. 13. de off. deleg., Jason. in l. si Procurator limitat 8. C. de Procurator, Tiraquell. de lege conubial. glos. 7. nu. 78., Surd. d. decis. 181. num. 3. 15.*
- 4 Amplia primò, in rescriptis gratiæ, quæ censentur subreptitia, & nullius valoris si procurator etiàm pro absente impetrando rescriptum gratiosum, omiserit per negligentiam narrare qualitates, aut circumstantias necessarias, ut si Procurator impetrat beneficium pro absente, non narrato, quod ille sit provivus de aliis beneficiis, ad tradita per *Monachum in c. gratia de rescriptis*, & licèt *Rota in antiquis decis. 74. de rescript. incipit Dominus Urbanus*, dicat subreptionem absenti non imputari,

respondeat non imputari, quoad incursum pœnarum, imputari verò quoad nullitatem provisionis propter resistantiam conciliorum prohibentium pluralitatem beneficiorum.

- 5 Amplia secundò, in rescriptis in causa criminali, ubi si procurator omisit narrare qualitatem necessario narrandam, Salvus conductus tamquàm subreptitius non sustinetur, & captus sub tali Salvo conducto condemnatur, ut ex articulo satis discusso resolutum in Urbe dixit *Hieronym. Federic. resol. 52. crim. impressa post Farinac. consiliorum tom. 2.*
- 6 Amplia tertio, in responsione danda positionibus, quia Procurator post litem contestatam, contumax verè, aut fictè omittat respondere positionibus, domino præjudicat, habenturque pro confessis, *c. 2. ubi glos. in V. Procurator de confessis in 6., Scaccia de Judic. l. 2. c. 7. num. 407.*
- 7 Amplia quarto, in omissa appellatione, idest si Procurator personaliter citatus ad sententiam, non appellaverit à die latæ sententiæ intrà decem dies, vel si non citatus personaliter, sed Domini non appellaverit à die scientiæ exclusivè, idest ipsa die intimationis non computato in termino decemdiu, tunc sententia transit in Judicatum, & sic negligentia Procuratori non appellanti, nocet Principali, *Rota coram Manzanedo decis. 138. p. 2. tom. 3. recent., Scaccia de appell. q. 12. nu. 20., & nu. 118., & seqq., Antonell. de temp. leg. lib. 4. c. 23. num. 12., Jordan. l. 14. tit. 26. num. 608., & seqq.*
- 8 Amplia quinto, si Procurator negligat certiorare principalem suum, quia talis negligentia domino nocet, quia debet sibi imputare si Procuratorem negligentem constituit, *Rota decis. 333. num. 3. p. 4. recent. Possibius de manuten. observat. 48. num. 30. ad finem.*
- 9 Amplia sexto, ut propter negligentiam Procuratoris principalis non habet justam causam impetrandi restitutionem in integrum, licèt sit læsus *Rota coram Manzanedo Decis. 138. num. 1. p. 2. tom. 3. recent.*
- 10 Regula autem plures patitur fallacias, & Primò fallit, si Procurator dolosè omittat, quia dolus Procuratoris non solum in committendo, non nocet Domino, eo quia mandatum non continet ordinem de dolo-

se com-

- & committendo, sed neque in omittendo, ex eadem ratione, quia tunc agit sine mandato, *Rota decis. 138. num. 1. p. 2. Tom. 3. Recent., Roland. consil. 71. num. 41. lib. 1., Paris cons. 100. num. 7. vol. 3., Mobedam decis. 2. de appellat., Rota coram Pirovano in Romana legati decis. 181. num. 16., & 19. p. 6. Recent., Scaccia de appellat. 1. 12. n. 126. & seqq.*, ità si Maritus dolosè omittat solvere canon. pro re emphiteutica Uxoris, ei non nocet, *Surd. decis. 102. num. 20.*
- 11 Secundò Fallit in iis, quæ sunt magni præjudicii, nam regula solum habet locum in iis, quæ sunt levissimè præjudicii, ut distinguendo, notat post *Francum, & Bartolum, Gaill. lib. 1. observat. 89. num. 5.*, ità intelligendo *tex. in l. omnibus Magistratibus §. si Procurator tuus ff. si quis jusdicenti non obtemperavi, Abbas in c. ad hæc num. 12., ut lite non contestata Boselli summa decis. tom. 1. tit. 66. num. 184., ubi Bartol., Curt., & Menoch. Aloys. Riccius in collect. decis. collect. 1605.*
- 12 Tertio Fallit in contumacia, quæ est species negligentia, si postquàm dominus sciivit contumaciam Procuratoris, statim procuravit eam purgare, quia ignorantis domini deterior conditio per procuratorem fieri non debet, *l. ignorantis ff. de Procur., late glos. in c. ad hoc in V. Procuratoris, ut lite non contestata, Abbas in c. ad hæc nu. 19. ut lite non contestata.*
- 13 Quarto Fallit, si negligentia Procuratoris proveniat, ex ignorantia facti, quando est probabilis, secus si sit tale factum, de quo non præsumatur ignorantia in Procuratore, poterit tamen dominus probare ignorantiam, licèt necesse sit ei producere liquidas probationes, quoties contra juris præsumptionem ignorantiam, alleget *per tex. satis clarum in l. si tutor petitus C. de peric. tut., & cur.*
- 14 Quintò Fallit, si communi existimatione Procurator ille habebatur pro diligente, quia tunc non potest reperiri culpa in ipso domino constituyente, ut notat *Abbas in c. ad hæc num. 21. ad fin. ut lite non contestata, arg. c. significante ibi per certum, & fidelem nuntium, prout ei videbatur de pignobus cujus tamen sententiam non approbat Crescentius decis. 7. nu. 4. de appellat., dicens, si hoc verum esset omnes Principales in curia similia allegarent, nec litis desertio unquàm locum haberet, quod re-*

spicit interesse partis, primo dicta tamen haberent locum, si Dominus ex negligentia procuratoris venisset mulctandus, quia ex quo constituit Procuratorem, qui habebatur diligens, cum sibi nequeat imputari, ità neque debeat mulctari, *Abbas in c. ad hæc num. 22. 23. ut lite contestata.*

- 15 Sextò Fallit, in terminis Statuti Ferrarise rubrica 70., ubi conceditur domino appellare à die scientiæ, non obstante procuratoris negligentia, etiamsi omisio sit sine dolo, etiamsi Procurator sit solvendo, ubi *num. 10. Pigant. ex eodem Statuto in fine notat, hoc fuisse indultum civibus, non autem forensibus, qui Statuto non gaudent in decisoris, secus de jure communi, quo datur actio ad interesse contra Procuratorem negligentem, si sit solvendo etiàm sine culpa, & dolo, Scaccia de Appellat. q. 15. num. 136. Vers. secus est, ut etiàm supra notatum est.*
- 16 Regulam autem nostram principaliter positam, quod scilicet Procurator negligens teneatur ad damna; Declara primò ità teneri, ut conveniatur ad id actione mandati, *l. cum per Procuratorem C. Mandati, nec mirum, quia & Procuratoris silentium, & negligentia venalis est, Scaccia de Judic. lib. 1. c. 50. num. 33.*
- 17 Declara secundò, ut mandato non impleto, Procurator teneatur etiàm ad interesse, ob fidem ruptam, *l. ad comparandas ibiq. D.D., quod Procurator constitutus ad emendum merces, vel prædium &c., si negligat emere, tenetur mandanti ad interesse, l. si Procuratorem §. Mandati actio, & §. dolo l. si mandavero §. fin. ff. mandati, & tenetur de omni culpa, etiàm levissima l. à Procuratore C. Mandato, Genua decis. 76. num. 6., & decis. 160. num. 1. 2.*
- 18 Ità Procurator, qui neglecto mandato bonorum possessionem non petiit, tenetur domino ad interesse, *l. si Maritus C. mandati.*
- 19 Declara tertio, ut Procurator negligens in defensione sui constituentis, removeatur ab officio, non solum ab ipso constituyente, vel eo instante à Judice, immò etiàm ab ipso Judice ex officio, *l. eum qui C. de Procurat., ibique notata per Barbofam num. 3., & 4.*
- 20 Declara quarto, ut Procurator specialiter etiàm constitutus ad vendendum recepto pretio, cum facultate quietandi &c.,